



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Liber III. Et V. Physicorvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

LIBER TERTIVS ET QVINTVS PHYSICORVM.

HOS duos libros communiter coniungunt Philosophi, quia in utroque Aristoteles de motu differuit. In Tertio differuit etiam de infinito, de quibus nos suo ordine agemus.

DISPVATIO DVODECIMA.

De Motu & Quiete.

QVIA contrarium motus est quies, & in ordine ad utrumque natura definitur, ideo de utroque in hac Disputatione agendum est.

SECTIO I.

Quid sit motus, & an ab actione & passione distinguatur.

MOTVS definitur in presenti ab Aristotele, *actus entis in potentia prout in potentia*. Hanc definitionem solum applicant Conimbricenses motui successivo, quia ille solus est qui simul actuat potentiam secundum unam partem sui, & secundum aliam eam relinquit in potentia; quod non videtur convenire motui instantaneo, qui non relinquit potentiam in potentia ad alium motum. Communiter tamen Philosophi eam applicant omni motui etiam instantaneo, quia *prout in potentia* praecise significat, motum esse a quo actuatur potentia quatenus potentia, ut recte Hurtadus Disputatione 11. §. 2. Addo, ipsos etiam Conimbricenses teneri id fateri: quia omnis pars motus successivi, est motus, & tamen ultima pars non relinquit potentiam in potentia ad alium motum; ergo *prout in potentia*, etiam in Conimbricensium sententia non significat potentiam manere adhuc actuabilem per ulteriorem motum, nisi forte dicant, motum non habere ultimum sui intrinsecum, ideo semper relinquere subiectum in potentia ad aliam partem. Est ergo motus *actus*, id est *forma*, quia omnis actus est in ordine ad subiectum quod informat: *entis in potentia*, id est *subiecti* habentis potentiam ad eum actum.

Vbi adverte, ex communi acceptione requiri, ut ea potentia fuerit in instanti praecedenti cum carentia eius actus, alioquin eius productio non erit motus. unde essentiae in se producentes suas passiones, in primo instanti suae existentiae non moventur per illas, quia non praecesserunt tempore sine illis, sed in eodem instanti producta fuit essentia & passio. Aduerte deinde, hanc carentiam formae, quae praerequitur in subiecto ad motum, non debere esse in eodem instanti cum ipsa forma, quia id est impossibile, sed solum in instanti immediato antecedenti. Unde inferes,

rationem motus esse denominationem extrinsecam partialiter etiam provenientem a negatione formae immediate antea praecedente: quare eadem productio caloris in primo instanti dicitur motus, quia praecessit immediate ante eius carentiam; eadem autem productio seu conservatio caloris in secundo instanti non est motus, quia non praecessit immediate carentia illius. Et hinc fit, ut in motu successivo durante per dimidiam horam v. g. omnes partes sint proprie motus, quia non perseverat eadem pars, sed semper novae producuntur, ideoque ad quamcumque praecedat carentia sui, quod non contingit in calore durante per eandem dimidiam horam, quia solum in primo instanti praecessit carentia illius.

Rogabis, utrum Angelus mutans actiones posset dici absolute moveri. Respondeo negativè, sicut de facto non movetur forma equi in secundo instanti. Et ratio est, quia ad mutationem ex communi acceptione requiritur, non solum ut sit nova actio, sed etiam novus terminus, qui cum non sit in eo casu (nam licet actiones sint diversae, Angelus tamen, qui est earum terminus, semper est idem) ideo tunc proprie non dicitur Angelus moveri. Sed quaestio est de nomine, & parvi momenti. Aduerte, Verbum divinum, etiam si in tempore & de novo habuerit denominationem aliquam intrinsecam, scilicet *unum*, non tamen mutatum, quia ad hoc requirebatur ut in se subiectaret unionem; motus enim est actus, id est, forma rei motae, ut diximus supra, Verbum autem non fuit subiectum unionis.

Motum distingui ab agente, subiecto, & termino, probatur eisdem argumentis quibus supra ostendimus, actionem & passionem distinguui ab agente, subiecto & termino: quia potest existere Petrus v. g. calor, ignis, quin Petrus per illum calorem moveatur; ergo hoc, quod est actu moveri Petrum per calorem, aliquid est distinctum ab ipso Petro, & calore, & igne producente. Difficultas solum potest esse, utrum distinguatur motus ab actione & passione. Communis sententia negat, quia motus subiecti est ille, quo subiectum in se recipit aliquam formam; sed haec receptio est formaliter passio, ergo motus & passio non distinguuntur. Nihilominus cenſeo, aliter dicendum in nostra sententia, distinguente causalitatem materiale ab unionem, scilicet motum consistere formaliter in ipsa unionem, non vero in actione & passione: & ratio est, quia

quia subiectum formaliter mouetur per vnionem sui cum formâ, non autem per causalitatem etiam materiale. Prima pars probatur in materia, quæ per animam rationalem formaliter mouetur, & se habet aliter quàm antea, etiamsi non causet eam animam, ergo motus non consistit in causalitate materiali formæ, sed in vnione cum illâ. Secunda pars probatur, quia etiamsi materia causeret materialiter albedinem, si tamen non vniretur illi, non mutaretur: quia tunc non rediretur formaliter alba, ideoque non transiret ex non-albâ in albam, ergo passio formaliter non potest esse motus, est ergo motus vnio formæ cum subiecto, quia per illam se habet aliter quàm antea.

Sed hinc insurges, Ergo Verbum diuinum mutabitur per vnionem. Nego consequentiam, quia Verbum non est subiectum eius vnionis, vt aliunde suppono. Aduerte hic, eam vnionem solum dici motum in primo instanti suæ existentiæ, quia, vt supra diximus, motus dicit aliquid extrinsecum vnioni, scilicet carentiam ipsius immediate antea præcedentem. Rogabis, a quo specificetur motus. In primis specificatur ab extremis, scilicet à formâ & à subiecto: quia est idem cum vnione, quæ specificatur ab extremis vnitis. Deinde, etiam specificatur à principiis illius vnionis, seu motus, casu quo ea vnio essentialiter respiciat principia illa in particulari. Et ratio est, quia tunc habebit respectum essentialem ad principium diuersum, & consequenter erit diuersus in se.

Potest esse questio, vtrum etiam specificetur à termino à quo, id est, vtrum sit diuersus motus à calido in frigidum, ab eo qui est à non frigido præcisè in frigidum. Questio est de nomine. Dicendum cenſeo, non diuersificari, quia motus solum requirit non præcessisse antea formam illam in subiecto: quod autem etiam forma contraria præcesserit vel non, omnino est extrinsecum motui, licet sit essentialis ratione conuersionis, vt alibi docui; ergo idem est, siue præcesserit sola carentia frigoris, siue etiam calor.

SECTIO II.

Cuiusdam opinio impugnata.

VIDAM modernus, cum nobiscum actionem & passionem à causâ & effectu distinguit, postea inquirens an motus etiam distinguatur, omnino id negat. Mouetur autem Primò, Quia generatio non distinguitur à re generatâ, ergo neque motus qui est idem cum generatione. Probat Antecedens: quia nullum potest dari instans, in quo possit assignari modus distinctus generationis in formâ substantiali; quia inter esse & non esse non est medium: sed quando forma est, iam non generatur, quia iam est genita; quando autem adhuc non est, etiam non generatur, ergo non datur generatio distincta. Ratio sententiæ falsæ sibi sunt constantes: & quidem Primò hic Auctor debuisset considerasse, eandem esse difficultatem in actione. Sicut enim per generationem res generatur, ita per actionem agitur: sed in primo instanti in quo est res, non agitur, quia iam est acta (hæc est formâ ar-

gumentandi Auctoris huius) antequam verò sit, nondum agitur; ergo numquam, ergo non poterit dari actio distincta, quod ab isto negatur, & merito. Quomodo ergo hic Auctor distinguit actionem, & negat propter hoc argumentum distinctionem generationis? Deinde hic non tam probat, generationem non distingui à formâ, quàm nullam esse generationem. Si enim datur generatio, siue distincta sit, siue identificata, peto ab illo, quando ea sit, an antequam forma existat, an quando iam existit. Ergo hoc argumentum vel omnem reiiciet generationem, vel distinctionem illius non impugnât. Neque puto, istum Auctorem cogitasse, non dari in rerum naturâ generationes vilas substantiales, siue distinctas siue non. Adde, ipsum solum videri loqui de generatione substantiali: est autem prorsus eadem difficultas de accidentali, quoad formam argumenti, vt ex se apparet. Respondeo ergo, in primo instanti quo res producit, si simul educatur è subiecto, dici generari. Neque hoc repugnat cum actuali existentiâ formæ, quia tunc, licet verum sit dicere *est*, non tamen est verum dicere *fuit*, & propterea tunc dicitur generari, non verò generatam fuisse. Huius Auctoris in isto argumentum equiuocatio orta est ex vulgari modo loquendi: domus enim dicitur fieri, quando aliquid illius est factum; & aliquid deest, non autem, quando vltima manus ei imponitur. Et fortè in hoc aliqui alij Philosophi etiam errant, deberent tamen aduertere Primò, illum communem modum loquendi solum habere locum in rebus quæ per partes fiunt; deinde, etiam ibi eo instanti, quo vltima manus imponitur, v. g. vltima regula, dici etiam fieri, licet in eo instanti simul perfecta sit. In rebus autem, quæ indiuisibiles sunt, clarum est, eo instanti quo *fieri ipsarum* est, debere & ipsas esse, sed quia immediate antea non fuerunt, tunc ideo dicuntur fieri.

Secundò arguit: Quia in motu locali, vbi certior videtur ea distinctio, adhuc non distinguitur motus à re productâ; quia si motus distinguere- tur ab vbicatione, sequeretur, eum, qui continenter mouetur, non mutari, quia tunc retineret eundem motum, etiamsi mutaret vbicationem. Consequens autem est falsum. Sed & hoc argumentum equiuocatione laborat: da enim, motum identificari cum actione productâ vbicationis, numquid, quando homo mouetur, quoties mutat vbicationem, debet & mutare actionem? Fortè putat hic Auctor, per eandemmet actionem produci iam hanc iam illam vbicationem, qui esset error peior priori: hæc enim actio numero de se alligata est huic numero termino, & non potest iam hunc iam illum producere. Vnde, quotiescumque homo currit, & vbicationem mutat, mutat actionem, & consequenter mutat motum, ideoque mouetur: nihil ergo ex eo argumento probatur.

Tenenda ergo est nostra sententia supra posita, de distinctione motus à re motâ, & à termino. Ratio etiam supra tradita est: quia scilicet potest existere in rerum naturâ homo & albedo, quin homo mutetur per albedinem; quando enim non vnitur homini albedo, non mutatur per illam, ergo hoc quod est actu mutari, est aliquid distinctum ab vtroque. Et tantò magis miror hunc Auctorem, quantò propter simile argumentum, & vnionis,

& actionis, & aliorum modorum distinctionem bene admittit, sed consequentiam hic male detulit.

An autem motus distinguatur à generatione, dixi Sectione præcedenti, distingui realiter, quia motus in vnione formæ cum subiecto consistit formaliter, non autem in causalitate materiali: quod exemplo materiæ primæ ostendi, quæ formaliter mutatur per animam rationalem, etiam si eam non causet præcisè, quia eam recipit, quod præstat per vnionem formaliter.

SECTIO III.

Motus diuisio.

DIVIDITVR in *successiuum* & *instantaneum*, quos oportet breuiter explicare. *Instantaneus* est, qui est totus simul, vt hominis generatio: neque enim primò generatur vna pars hominis, deinde alia, sed simul introducitur anima in totam materiam tunc dispositam. Idem est in generatione aliorum animalium, in productione lucis, quæ tota & in instanti producit in aëre. Hic motus vulgariter non appellatur *motus*, sed *mutatio*. *Motus successiuus* est, quando per partes successiuè acquiritur forma, vt quando successiuè ignis calefacit lignum, vel quando successiuè animal acquirit plures vicationes: quare motus successiuus componitur ex pluribus motibus instantaneis; ideoque hi motus non differunt inter se, nisi secundum maius & minus, sicut punctum materiæ differt à pluribus punctis.

Dices: Gradus intensiōis differunt specie inter se, primus à secundo, &c. ergo etiam motus successiuus terminatus ad omnes illos gradus differet specie à motu instantaneo terminato præcisè ad vnum gradum. Respondeo Primò, fortè falsum esse Antecedens, de quo in libris de Generatione. Secundo, etiam in ipsis motibus instantaneis reperiri eam differentiam, quia motus instantaneus terminatus ad primum gradum, differet specie à motu instantaneo terminato ad quartum, si gradus inter se differunt. Item motus successiuus terminatus ad octo gradus caloris, etiam differet à successiuo terminato ad octo frigiditatis. Igitur absolute respondeo, eam differentiam esse accidentalem in ratione motus, sicut in Logica diximus differentiam in homine & equo in ratione speciei, esse differentiam accidentalem Logicè.

Rogabis, vtrum motus successiuus possit fieri in instanti. Respondeo, in quantum successiuus, non potest, quia successio debet esse in pluribus instantibus; ille verò motus, qui de facto est successiuus, potuit esse instantaneus; vt si octo gradus caloris, qui de facto in octo instantibus v.g. successiuè producti sunt in vnico instanti, simul producerentur, quod fieri potest saltem de potentia absoluta. Vtrum autem motus localis possit fieri in instanti, infra dicemus.

Rogabis deinde, ad quos terminos dentur motus successiuus & instantanei. Motus successiuus potest dari ad omnia accidentia capacia intensiōis vel extensiōis, quæ possunt successu temporis intendi & augeri: quare calor, frigus, gratia, &c. quia possunt successiuè intendi, sunt ter-

mini motus successiuus. Item & lux, quatenus ad maiorem approximationem luminosi successiuè factam, potest intendi successiuè, & etiam extendi, in noua parte subiecti. Præterea ad quantitatem potest dari motus successiuus, quatenus potest corpus v.g. per vnionem sui cum aliis partibus corporis, fieri maius quantitatiuè. Et hinc infero, non solum dari motum ad tria Prædicamenta, scilicet ad *Quantitatem*, *Qualitatem* & *Vbi*, sed etiam ad *Durationem*, quæ continuè mutatur. Deinde etiam potest dari ad *Situm*, imò & ad *Substantiam*: quia sicut vna quantitas extensiuè augetur per aliam partem quantitatis, ita etiam vna materia & forma ignis extensiuè augetur per vnionem sui cum alia parte materiæ & formæ ignis; & quantum ad hoc, excogitari nequit differentia inter motum quantitatis, & motum substantiæ constantis partibus integrantes. eodem enim modo quo quantitas augetur, etiam augetur forma substantialis materialis, & materia in quâ est ea quantitas. Motus instantaneus datur ad eas res quæ in instanti producuntur, & non successiuè: vel quia non habent partes, vt anima rationalis, Angelus, intellectus, voluntas, &c. vel quia, etiam si habeant partes, omnes simul producuntur, vt in generatione animantium, etiam materialium, in instanti producit & vnitur tota forma cum materiâ dispositâ.

SECTIO IV.

De Motuum contrarietate, vbi etiam de Quiete.

OMNIS motuum contrarietas oritur à contrarietate terminorum: vnde calefactio & frigefactio opponuntur, saltem in gradibus intensi, quia calor & frigus in illis opponuntur. Item motus sursum & deorsum, motus ad amorem & motus ad odium, &c.

Potest esse in præsentī difficultas, vtrum per se, vel per accidens, possit simul res aliqua duobus motibus contrariis moueri. Ratio dubitandi est, quia cum quis portatur in nauī, vel in curru vehitur, potest se mouere versus Occidentem, cum tamen à nauī vel à curru moueatur versus Orientem. Deinde, anima rationalis, quæ tota est in manu & tota in pede, potest in manu moueri sursum, in pede deorsum; ergo possunt simul dari motus contrarij in eodem subiecto.

Vt ab hoc vltimo incipiamus, respondeo, animam rationalem esse capacem simul duorum locorum non discontinuatorum, seu quod idem est, duorum locorum partialium: vnde, etsi moueatur in manu sursum, & in pede deorsum, non ideo habet duos motus contrarios, quia illi motus possunt conuenire animæ simul, ideoque non sunt contrarij. Ad illud de homine qui fertur in nauī vel curru respondeo, eum tantum moueri vnico motu. Pro quo distinguendum est: nam si ille homo velocius moueatur in nauī vel curru versus Occidentem, quàm nauis versus Orientem, tunc præcisè mouebitur versus Occidentem, sed non tantum, quantum si nauis quiesceret, quia per motum contrarium nauis magnâ ex parte retardatur. Si verò nauis velocius moueatur versus Orientem, tunc præcisè ille homo versus Orientem mouebitur, sed non tantum quantum, si ipse

si ipse quiesceret in naui, quia per proprium motum contrarium aliquando retardatur motus versus Orientem: quod si aequali velocitate ipse a nauis moueatur, semper manebit sub eodem puncto fixo caeli. Vnde, si cepit moueri à rostro nauis in puppim, etiam si videatur mutasse locum, verè tamen non mutauit; quia dum ipse accessit à rostro in puppim, puppis accessit ad locum ubi erat rostrum, nam eadem est distantia à rostro in puppim, ac à puppi in rostrum, & aliunde uterque aequali velocitate mouetur; ergo homo ille in illo casu non mutauit locum respectu puncti fixi in caelo. Confirmatur & explicatur amplius: pone supra hominem & nauim signum aliquod fixum, rogo, vel quando homo in naui currit à prora in puppim, manet semper sub eo fixo signum, & sic non mouetur, neque versus Orientem neque versus Occidentem, vel transit post illud signum ad Occidentem, & tunc solum mouetur versus Occidentem, & nullo modo accedit Orientali: vel non transit post signum, sed elongatur ab eo versus Orientem, & tunc solum accedit ad Orientem, & recedit ab Occidente:

transire autem simul & semel post illud signum ad Orientem & Occidentem, non potest; ergo non potest simul naturaliter motibus contrariis moueri. Diuinitus verò, si duobus in locis ponatur corpus, fieri id potest, ut infra dicam suo loco.

Quies, contraria motui, est persistèntia interminu acquisito. Potest esse duplex; alia *negatiua*, id est persistèntia in carentià formæ, ut quam habet voluntas v. g. dum est sine amore aut sine odio: & *positiua*, quæ est possessio formæ positivæ, ut v. g. persistèntia caloris in subiecto.

Aduerte Primò: sicut non potest esse motus ad duos terminos contrarios, ita nec posse esse simul quietem sub illis, sed solum sub altero illorum disfunctione.

Aduerte Secundò: quietem addere supra acquisitionem formæ persistèntiam in ipsa formâ, ex communi acceptiōe quietis: & ratione huius differt à motu; vnde in primo instanti quod res acquiritur, propriè non est quies sub illâ. Sed quæstio est de modo loquendi, & parui momenti.

DISPUTATIO DECIMATERTIA.

De Infinito.

SECTIO I.

Definitio Infiniti.

INFINITUM est id quod caret fine. V. g. duratio à parte pòt futura in æternitate, est infinita, quia non habet terminum. Item à parte antè duratio Dei est infinita, quia non habuit principium. Infinitum aliud est in *multitudine*, quod includit infinitas unitates, quæ numerari successiue numquam possunt, ita ut finiantur; aliud in *magnitudine*, ut si infinitæ partes materiæ inter se vniuntur, facerent materiam infinitam in magnitudine: aliud in *intensione*, ut si in eodem subiecto infiniti gradus caloris ponerentur. Hæc tria infinita solum sunt in aliquo genere, & secundum quid, quia in alio genere habent finem: nam virga v. g. infinite longa habet finem in latitudine, & materia infinite magna habet finem in perfectione essentiali. Aliud infinitum est in *perfectiōe*, seu in *essentiâ*, & est illud quod habet omnem perfectionem possibilem, & hoc solum Deo conuenit, quia est infinitus simpliciter, & in omni genere.

Secundò aduertendum est, vnum infinitum esse posse maius alio. Probatur clarè, quia quolibet infinitum (non loquor de Deo) componitur ex duabus medietatibus infinitis: nam si illæ essent finitæ seorsim, etiam coniunctæ essent finitæ, quia finitum additum finito non facit infinitum. Ratio à priori, quia finitum potest successiue pertransiri in tempore; vnde duo finita in tempore, licet tantumdem longiori, poterunt pertransiri; ergo illæ duæ solæ non possunt facere infinitum; debet ergo quælibet esse infinita. Atqui quælibet est minor quàm totum, quia totum

includit illam partem & aliam tam magnam, ergo vnum infinitum potest esse minus vel maius alio. Confirmatur, quia infiniti homines possibiles, plures haberent manus & oculos, ac capillos, quàm ipsi homines sint in se; ergo maius esset infinitum capillorum quàm hominum. Deinde, occidat Deus ex illis hominibus tres vel quatuor; qui remanerent, essent infiniti, & non totidem ac antea, ergo: ex quo fit, posse fieri additionem infiniti. Vbi aduerte, nonnullos acriter contendere, non posse vnum infinitum esse maius altero in ratione infiniti. Sed hi faciunt quæstionem de nomine, in quâ nolo mihi caput frangere; concedas mihi, quod lumine naturæ ita videtur per se notum, ut nec ab amante posse negari videatur, in infinito hominum plures esse oculos & capillos, quàm ipsi homines sint: postea verò non curo, si dicas, in ratione infiniti esse æquales, quia hoc pertinet ad modum loquendi.

Tertiò aduertendum est contra communem recentiorum sententiam, posse vnum infinitum, in multitudine v. g. aut in magnitudine, claudere inter duas unitates, vel duo puncta determinata. Probatur autem euidenter, quia inter hominem & lapidem clauduntur infinitæ species animalium inæquales inter se, respectu quarum homo est vltimus, quia est perfectissimus illarum; & lapis est primus, quia est imperfectissimus illarum. Item, siquidem vnum infinitum potest esse maius alio, ut diximus, ponamus virgam infinite longam versus Orientem, finitam tamen versus Occidentem; in primis hæc virga versus Occidentem habet punctum determinatum à quo incipit. Da ergo vltius, illam à Deo diuidi in duas, etiam tunc versus Orientem manebit punctum determinatum, vltra quod non sit aliud, nempe illud quod amisit vnionem continuatiuam cum aliâ parte, quod punctum proculdubio assignabile

signabile est à Deo, quandoquidem illi abstulit Deus vnionem; ergo illa virga haberet duo puncta determinata & signabilia, intra quæ clauderetur, quantumuis esset infinite longa. Deinde, si Deus ex infinitis gradibus intentionis tolleretur medietatem, adhuc qui remaneret essent infipiti, & haberent primum & vltimum. De primo nullus dubitat: de vltimo probatur (& pone, claritatis gratiâ, eos esse dissimiles inter se) nam maneret aliquis gradus, qui amisisset vnionem cum ablati, & solum maneret vnus cum præcedentibus; ille autem esset vltimus, quia ultra illum non esset alius, & omnes ante ipsum. Quod si infinitum sit in magnitudine, necessarium debet esse aliquod punctum quod non habeat aliud post se, quia non omnia puncta habent aliud post se. Confirmatur in sententiâ constituyente infinita indiuisibilia & puncta in continuo, v.g. in ligno, quod tamen habet duo puncta terminatiua, inter quæ clauditur tota illa infinitudo; & si ab vno ad aliud percurras successiue, non poteris omnia pertransire, etiam per æternitatem.

Sed dices: Si infinitum habet vltimum, iam non est infinitum, cum claudatur terminis, & habeat finem. Respondeo, infinitum non excludere propriè vltimum, modo à me explicato: nam præcisè in eo, quod ex vno termino ad alium successiue perueniri nequeat, consistit essentia infiniti, vt in exemplo posito de infinitis speciebus entis, inter hominem & lapidem inclusis, manifestè cernitur. Aduerte tamen, illud punctum vltimum non dicendum propriè terminum: quia terminus applicatur solum, ex communi acceptione, ad rem finitam; vnde solum est dicendum, dari duo puncta vel duo indiuidua, inter quæ tota magnitudo aut multitudo infinita claudatur.

Quartò aduerte, infinitum aliud esse *categorematicum*, quod propriè in se actu includit infinitas partes; aliud esse infinitum *syncategorematicum*, quod licet in se finitum sit, quia tamen ei possunt addi plures & plures partes in infinitum, dicitur syncategorematicum non à se, sed à partibus quæ possunt addi in infinitum.

SECTIO II.

Deus cognoscit infinitas creaturas possibiles.

Non defuere qui dixerint, à Deo non potuisse produci creaturas alias, neque in specie, neque in indiuiduo, ab his quæ de facto productæ sunt. Ita Abaylardus, Wicleffus, Ioannes Husius, & alij hæretici, quorum sententia damnata est in Concilio Constantiensi Sessione 15. Alij Catholici, licet sentiant à Deo potuisse plures alias creaturas produci numero & specie physice diuersas ab his quæ de facto existunt, censent tamen, omnes illas esse finitas numero. Ita Scotus, Durandus, & alij apud Mendozam Disputatione 13. Physicorum § 7. Refert etiam pro eâ Caietanum; sed immeritò, quia licet 3. Parte, quæst. 7. à num. 12. neget, gratiam posse in infinitum augeri, non propterea negat indiuidua & species infinitas possibiles.

Contra utroque ex Concilio Constantiensi agunt recentiores, verum immeritò, tum quia

hæretici Deum finxere operantem ex necessitate naturæ, tum quia consequenter docuere, solum posse ab eo produci quæ de facto existunt; Catholici autem Auctores relati, in nullo horum cum hæreticis conueniunt, imò ab illis longè diffident; neque quia in propositione integrâ hæreticorum à Concilio damnatâ includatur aliqua particula, in quâ videntur conuenire hi Catholici, scilicet, *sed animas vsque ad certum numerum creare, &c.* ideo Catholici à Concilio damnantur, quia hoc solum damnauit propositionem integram hæreticorum, non autem quamlibet illius propositionis partem truncatam, & per se sumptam: persæpe enim propositio aliqua complexa est falsa, cum tamen aliqua ex simplicibus vera sit; neque quia tota dicatur falsa, ideo qualibet seorsim falsa censenda est, vt in hac propositione, *Deus non solum potest peccare, sed bene operari, tota propositio falsa est*; illa autem aduersatiua, *sed bene operari*, verissima; non ergo potest ex Concilio agi contra hos Catholicos. Adde, illam propositionem, licet primo fuerit posita inter doctrinam Ioannis Wicleffi, non tamen pertinere ad eas quæ à Concilio & Martino V. damnatæ sunt, sed omittam, sicut & aliquas alias Philosophicas, quæ in primâ relatione continebantur.

Ratione deinde iidem insurgunt contra Scotum: quia, si creaturæ possibiles sunt finitæ, demus ergo eas esse centum v.g. quæ duo contradictoria sequuntur si sunt centum & duæ, & sic in infinitum, adduntque ridiculum esse, & homine Philosopho indignum, id inficiari. Verum retorqueo argumentum contra ipsos euidenter, & do illis, creaturas possibiles esse infinitas; peto, cur non sint possibiles alia ultra illas, vel quæ contradictoria sequantur in eo, quod illis addantur alia duæ, siquidem vnum infinitum potest esse maius alio, nec ex conceptu infiniti repugnat illis fieri additionem. Respondebis, quia in illo infinito iam sunt omnes possibiles. Sed contrâ, quia de hoc quæro rationem, cur scilicet in illo infinito includantur omnes possibiles, nec possit illis infinitis vlla alia addi. Nec sumo illud aggregatum, supponendo esse in illo omnes possibiles, in hoc enim sensu esset stulta interrogatio; sicut etiam quando & hi argumentantur contra Scotum & alios, non sumunt illam collectionem finitam, supponendo ibi iam esse omnes: tunc enim facile Scotus redderet repugnantiam, quia scilicet supra omnes non possunt esse alia. Sumo ergo illud aggregatum infinitum, & de illo rogo, cur supra illud non possint esse alia plures, & consequenter, cur ibi sint omnes possibiles. Hac instantia argumenti est fortissima: nam cum infinitum non eo ipso quod infinitum sit, continet omnia possibilia, parum conducit vt in illo acervo dicantur esse omnia possibilia, dicere illum esse infinitum: nec video, quid ei responderi possit. Sicut ergo dicis, ibi esse omnes possibiles in tuo acervo, idem dicit Scotus de suo.

Secundò arguunt: Quia ultra diem iudicii potest Deus mouere cælum in infinitum, ergo sunt possibiles infiniti motus. Respondebunt aduersarij, non esse possibiles diuersos motus cælorum in infinitum, sed necessariò Deum, si uellet cælum mouere in infinitum, reproducturum eos motus. Idem etiam dicent de cogitationibus Beatorum & damnatorum per æternitatem futuris. Sed

SECTIO III.

*Deus potest producere creaturam omnium
infimam, item & perfectissimam.*

Sed replicant hi recentiores, malè à me hanc solutionem tradi, quandoquidem ego sentio, durationem distinguì, esseque successivam, & distinctam hodiernam ab hesternà: unde si Deus reproduceret per aeternitatem eos motus, saltem durationes distinctae deberent esse novae, & consequenter illae possibiles erunt infinitae. Fateor libentissimè, in meà sententià id ita contingere: verum propterea non dixi, me ita posse argumento respondere; sed ab aduersariis, contra quos hic agimus, quique durationem distinctam negant, posse eam solutionem dari, quam etiam negat arguens. Quod verò ad me attinet, non est cur hi sint solliciti de me ex duratione distinctà conuincendo ad infinitatem creaturarum possibilem; independentem enim ab hac distinctione durationis, libentissimè admitto infinitas creaturas posibles, & ego ex hac distinctione durationis, etiam eandem infinitatem consequenter ad mea principia ostendi. Scotum autem & alios aegrè hi redarguent de inconsequentia ex solis meis principis. Alia argumenta, quae cum primo ferè coincidunt, & ab his afferuntur, omitto, quia facile possunt eodem modo, sicut primum, enervari.

Arbitror ergo Primò, hæreticos aientes non esse possibile alia indiuidua ab his quae de facto sunt, fuerunt, auterunt; hos, inquam, facillimè posse conuinci falsitatis. Quis enim dubitet, si plures homines qui de facto ob suam libertatem à nuptiis abstinerunt, contraxissent matrimonium, saltem aliquos illorum habituros aliquos alios filios; ergo possibiles sunt alij homines in mundo ab his qui de facto existunt. Idem sit argumentum de aliis animantibus, quae impedita sunt ab hominibus ne procrearent. Præterea, quis dubitet, possibiles esse alias formas ignis ab his quae de facto dantur, & quòd, si voluissem ego, ignem stupae applicando, nouum producere, potuissem hoc facere? Alias frustra homines extinguere incendia; frustra animalia nociua, ne noua producerent, interimerent; impertinenter imminetia pericula deuiterent, quandoquidem non sunt possibilia alia entia, aut ignis, aut animalia, nisi quae de facto sunt, quae omnia statim ridicula apparent. Denique in ipsis actionibus voluntatis est certior conclusio: quia voluntas cum sit libera, non semper operatur quantum potest; saltem ergo est, non esse possibiles alias creaturas ab his quae de facto existunt.

Secundò cenſeo, etiamſi Scoti ſententia tam aperte nequeat impugnari, nihilominus omnino dicendum eſſe, creaturas poſſibiles eſſe infinitas, tum quia niſi id concedatur, vix poteſt explicari quâ ratione potentia Dei ſit infinita; tum quia, vt ſuppono ex dicendis infra, durationes diſtinguuntur à re durante, nec poſſunt reproduci; ergo homines & Angeli in æternum duraturi, infinitas habebunt durationes diſtinctas. Si autem ſemel infinitum aliquod concedatur, non eſt cur etiam in aliis rebus illud non admittamus. Denique & præcipuè, quia in tali infinito nulla eſt contradic-tio (vt infra oſtendam) ergo debet concedi poſſibile. Scientia ergo Dei cognoscat actu creaturas poſſibiles infinitas ſimpliciter.

De perfectissimâ negant nonnulli, quia quacumque producatur, adhuc distat infinitè à Deo; ergo possibilis est alia media inter ipsam & Deum. Debile argumentum: sume enim totam collectionem creaturarum possibilem, & argue sic: Adhuc illa collectio est finita in perfectione essentiali, & distat infinitè à Deo, ergo poterit produci alia perfectior intensiue totâ illâ collectione. Ecce formam tui argumenti omnino eandem; nec puto ei concedes consequentiam. Hanc meam solutionem reicere postea hi, eò quod argumentum ipsorum defumatur ab infinitâ participatione Dei, & positâ vnâ creaturâ perfectâ, esse possint infinitae perfectiores; nec hinc inferri contradictionem, nec esse cur in vnâ sistamus, sed progrediendum sine fine. Hæc illi.

Verum ego non video, quomodo hinc solutionem impugnauerint: ego enim in solutione non ago iam de puncto præcipuo quaestionis, scilicet vtrum sit possibilis vna creatura omnium suprema, an non; sed tantum ostendo, argumentum horum Auctorum, ad probandum illam, repugnare, eò quod qualibet assignatâ, adhuc Deus ab eâ infinitè distat, ergo participabilis est ab aliâ superiori: hoc, inquam, argumentum nullum esse ostendo, quia sumptâ totâ collectione, adhuc est verum dicere, Tota hæc collectio distat infinitè à Deo, & tamen inde non licet inferre, Ergo est possibilis aliqua creatura, quae perfectiùs, quàm tota ista collectio, Deum participet; ergo nec valebit eadem forma argumenti in vnâ solâ creaturâ; ergo quidquid sit de conclusionis veritate, certè ea non probatur bene hoc argumento. Ei ergo, omisâ instantiâ, respondeo, omnem creaturam ex conceptu suo necessario debere infinitè à Deo distare, nec illam distantiam posse, vt sic dicam, repleti per creaturas magis ac magis perfectas, quousque inter illas & Deum nulla sit vacuitas, alioquin esset aliqua quae finitè à Deo solum distaret, quod omnino repugnat; non ergo ex distantia infinitâ potest inferri, possibilem esse aliam perfectiorem.

Secundò arguunt: Quia, si daretur creatura perfectissima omnium, sequeretur eas, quae continentur infra illam, non esse infinitas, quia haberent vltimam. Argumentum imbellius priori. Anne, quia species hominis sit perfectissima omnium animalium, sequitur, species animalium infra illum contentas, non esse infinitas? Nullatenus: & mirandum est, quòd cum ferè omnes dicant, infra hominem esse infinita animalia imperfectiora, tamen communiter ex hac infinitate conentur inferre, non esse possibilem creaturarum omnium perfectissimam.

Fortè dicent: Tunc esset etiam infima & vltima; & consequenter infinitum ex vtraque parte haberet terminum, quod repugnat infinito. Sed contra hos euidenter retorquero argumentum. Sumo formicam & hominem: intra hos duos terminos, quorum vnus est infimus, alter supremus, sunt possibilia per te infinita animalia inaequalia;

qualia; ergo iam tota illa collectio ex illis, & formicâ ac homine, habebit duos terminos, formicam infimum, & hominem supremum; ergo ex infinitate non repugnat creatura omnium infima, item & omnium suprema. Ratio est, quia (vt dixi suprà) rectè potest infinitum includi inter duo puncta, si illa inter se infinite distent: distabunt autem, quando tot sunt inter illa unitates, vt successu temporis à primâ ad vltimam peruenire nequeam; ergo ex hoc capite nec repugnat creatura omnium perfectissima, nec item imperfectissima.

19 Contraria ergo sententia, scilicet, possibilem esse creaturam aliquam omnium perfectissimam quoad speciem, item & aliam è contrario omnium infimam, multò probabilior est; & quidem mihi certum, propter statim dicenda. Dico, *omnium perfectissimam quoad speciem*, vt abstraham nunc, an illa haberet alia individua eiusdem speciei sibi omnino æqualia. imò vt clariùs etiam procedamus, & abstrahamus ab alterâ questione, an scilicet duæ species diuersæ possint esse æquales in perfectione, vnde aliquis contenderet illam non esse perfectissimam, quia posset habere aliam speciem sibi æqualem. Vt ergo ab hoc abstrahamus, meliùs dicetur, posse dari vnam creaturam, quæ à nullâ aliâ excedatur in perfectione, siue habeat alias æquales sibi, ideoque non sit omnium perfectissima; siue non habeat, & tunc nec ab vllâ excedatur, & ipsa omnes excedat. Hæc sententia est omnium eorum,

20 qui dicunt, de factò supremum Seraphinum esse perfectissimam creaturam possibilem. Item & aliorum multorum, qui, abstrahendo ab eo quod de factò existit, possibilem tamen esse talem creaturam, expresse asserunt.

Hanc Primò probò solutione argumentorum: ostenditur enim, nullam esse in tali creaturâ repugnantiam, ergo. Secundò efficaciter, quia sumo totam collectionem creaturarum, & sic in eâ argumentor: Non omnes creaturæ, quæ sunt in hac collectione, exceduntur à creaturis; ergo aliqua est quæ non exceditur, illa ergo erit suprema, de quâ dispuro. Consequentia vtraque est euidens. Antecedens verò probò manifestè: quia repugnat, omnes creaturas excedi à creaturis; daretur enim mutus excessus in perfectione in eâ collectione, qui omnino repugnat; ergo non omnes exceduntur. Confirmo & explico

21 Primò: repugnat, omnes creaturas produci à creaturis, nisi detur mutua productio. Vnde omnes Philosophi & Theologi ex eo, quod creatura sit producta, probant, necessariò deueniendum ad vnum eius improductum, & à se, à quo illa primò producantur: supponunt enim vt certum, totam collectionem creaturarum non posse à creaturis produci (alias argumentum nullum esset) nisi detur mutua causalitas. Vnde, qui hîc à nobis dissident, postea inferiùs probantes, generationes hominum non potuisse esse ab æterno, vtuntur hoc argumento, quia scilicet in illâ collectione etiam infinitâ, deueniendum est ad vnum, qui non sit productus ab alio homine, sed à Deo (omitto reliquam argumenti partem, quia non est ad meum intentum, nunc præcedenti sum contentus) ergo sicut in illâ multitudine hominum, ne detur mutua causalitas, deueniendum est ad vnum non productum ab homine;

ita in collectione creaturarum, quantumvis infinitâ, deueniendum est ad vnam, quæ non excedatur à creaturâ; est enim idem meum argumentum cum tuo, mutatis terminis *causalitatis* in excessum. ergo non minùs repugnabit, omnes creaturas diuini excedi à creaturis, nisi detur mutus excessus, quàm repugnat, omnes eos etiam homines infinitos produci ab hominibus, nisi detur mutua causalitas. Atqui, mutus excessus clariùs multò repugnat, quàm mutua causalitas; quia esse absolute perfectiorem alio, & imperfectiorem absolute illò, in terminis ostendit repugnantiam: dicit enim habere tantam perfectionem, quandoquidem est æquale, imò perfectiùs; & dicit non habere tantam, quia est minùs perfectum: habere autem tantam, & non habere, tantam, aperte sunt contradictoria; in mutua autem causalitate non tam facile ostenditur ea contradictio (vt & suprà vidimus) ergo sicut repugnat, in totâ collectione creaturarum nullam esse quæ non producatur à creaturâ, ita repugnabit, in eadem collectione nullam esse quæ non excedatur à creaturâ. Neque video vllam possibilem disparitatem, quoad hoc, inter causalitatem & excessum.

Confirmo Secundò, & accipio totam collectionem specierum possibilem ab homine inclusiue, & argumentor sic: In hac collectione non omnes species exceduntur; ergo aliqua est quæ non exceditur; illa ergo erit, quam ego supremam voco. Probo Antecedens: quia si omnes excederentur, sequeretur, plures esse quæ exceduntur, quàm excedentes, & non esse plures, quæ sunt contradictoria. Probo sequelam, quia in primis omnes species supra hominem exceduntur, & excedunt per te; homo autem, qui est primus in eâ collectione, exceditur, & non excedit vllum illius collectionis; ergo sunt vnâ amplius quæ exceduntur, quàm excedentes, in eâ collectione, humana scilicet species, quæ exceditur, & non excedit. Præterea non essent plures: quia quælibet quæ exceditur, debet habere vnam à quâ excedatur immediatè; ergo vt omnes excedantur, tot debent esse quæ excedunt, quot excessæ, & non plures; sunt ergo tot, & non sunt tot. Neque refert eas esse infinitas, quia si Deus poneret hîc infinitos homines, quemlibet in suo proprio equo, & postea destrueret vnum equum, necessariò deberet vnus homo manere sine equo, nec aliter potest etiam in infinito concipi; ergo, si singulæ species illius collectionis exceduntur ab vnâ sibi immediatè superiore, tot debent esse excedentes, quot excessæ, vel necessariò debet manere vna quæ non excedatur (vt contendo) si plures sint excessæ quàm excedentes. ostendi autem euidenter, esse plures in tuâ sententiâ, quia homo ipse exceditur, & non excedit; ceteræ autem, per te, & sunt excedentes, & excessæ. Ecce ergo quomodo negari nequeat vllò modo, nisi dentur duo contradictoria, in eâ collectione creaturarum non omnes & singulas excedi, sed necessariò vnam debere esse quæ non excedatur, vt contendo, illamque esse vltimam seu perfectissimam.

Possit fortè dici, esse quidem vnam, sed indeterminatam. Sed hoc facile reicitur, Primò quia à parte rei nihil est indeterminatum; indeterminatio enim tenet se ex parte cognitionis nostræ.

stra. Secundò, quia illam Deus necessariò debet cognoscere; nouit enim Deus de aliis quæ exceduntur, ista & ista exceditur, &c. ergo noscet illam quæ non exceditur, & poterit illam producere. Tertiò, quia si Deus omnes produxisset, illa etiam fuisset producta; ergo posset illa se agnoscere, & dicere; ego non excedor; tunc autem bene esset determinata.

Sic arguor. Secundò: In eâ collectione creaturarum omnium, est summa propinquitas in perfectione cum Deo, quæ in creaturis esse potest. Hæc est euident, quia supra eam totam collectionem; non est possibilis creatura Deo vicinior. Vltimò: ea vicinitas summa non reperitur in omnibus; imò neque in duabus speciebus (pono, maioris claritatis gratiâ, omnes species esse inæquales, vt tu ipse doces) ergo in vnâ; ergo datur vna summè Deo vicina. Probo primam consequentiam euidenter (secunda enim est certa) quia ibi datur summa propinquitas, non in omnibus; neque in duabus aut tribus; quia non sunt duæ æquales, vel si sunt, illæ erunt omnium perfectissimæ; ergo in vnâ, aliâs non erit ibi summa vicinitas quæ cum Deo esse potest. Neque scio quid sit euident, si hæc consequentia euidenter non deducitur.

Tertiò idem ostendo, quia Deus, incipiendo ab homine, cognoscit quis illum excedat, & rursum quis illum secundum, & sic de tertio & de quarto: vel ergo Deus sistit in aliquâ specie, supra quam non cognoscat quæ sit perfectior quàm illa, cum tamen verè aliqua sit (quod dici non potest, quia repugnat perfectioni scientiæ diuinæ) vel de omnibus in particulari cognoscit quas excedant, & à quibus excedantur: cumque ea cognitio diuina, & discursus, ascendendo per eas creaturas fiat, non successiue, sed in instanti, de omnibus, quantumcumque infinitis; poterit dicere & quæ & à quibus excedantur; ergo pergero sursum vno ictu, tandem venit ad vnam ultra quam non progreditur, quia non est vlla supra illam, vel debet per illas vsque ad se ipsum ascendere, & sic etiam noscet illam, quæ ipsi Deo immediatior fuerit, illa autem est omnium suprema. Nullo ergo modo eam esse possibilem, negari potest.

Quartò tandem, quia Deus potest producere summè perfectam quàm potest, quæ est propositio identica, ideoque nimis vera. Producat ergo illam, rogo an esset omnium perfectissima, an non. Si esset, teneo intentum: si non esset, ergo poterat Deus aliam perfectiorem producere, ergo non est summè perfecta quàm potest, vt iam supponimus.

Eadem argumenta eadem vi fieri possunt, ad probandum esse possibilem creaturarum omnium infinitam.

Rogabis, an creatura illa omnium perfectissima esset infinita in perfectione. Negant nonnulli, eo quod illa non haberet perfectionem independentiæ à Deo.

Sed diceret forte aliquis: Sicut non est de ratione infiniti in multitudine v. g. habere omnes unitates posibles, vt & facientur omnes; ita neque esse de ratione infiniti in perfectione, habere omnem perfectionem possibilem; ergo poterit illa creatura esse infinita in perfectione, licet non habeat omnem perfectionem possibilem; ideo-

que sit infinita non simpliciter, sed secundum quid. Respondeo, infinitum in essentiâ ex acceptione communi significare illud quod habet omnem perfectionem simpliciter simplicem; vel aliter, quod non habet imperfectionem, vt diximus. 1. Creatura autem illa, etsi excederet infinitas, semper tamen haberet admixtam imperfectionem defectibilitatis, dependentiæ, &c. Ideoque non esset infinita. Neque argumentum hoc speciale est in illâ creaturâ, quia etiam Angelus excedit infinitas creaturas posibles inæquales in perfectione, & tamen non ideo est infinite perfectus. Ad instantiam de infinito in multitudine respondeo, ibi non requiri ad rationem infiniti omnes unitates posibles, quia ibi ratio infiniti desumitur ex eo, quod à primo ad vltimum successiue perueniri nequeat, quod necessariò debet esse verum, etsi duo vel tres, imò media pars desit ad omnia possibilea (vt ostendi euidenter num. 2. probans, vnum infinitum posse esse maius altero) at infinitum in essentiâ, nisi per continentiam omnis perfectionis possibile, non est vnde sumatur: nam continentia infinitorum effectuum, vel excessus infinitorum entium in homine, in equo, & aliis entibus quæ nullatenus infinita dicuntur, reperitur; homo enim & equus excedit infinita entia, & continet infinitas sensationes, appetitiones, &c.

SECTIO IV.

Potest Deus producere infinitum in multitudine, magnitudine, & intensione.

In hanc sententiam inclinat P. Vasquez Tom. 1. in 1. Part. disp. 26. cap. 1. & est communis inter modernos, probaturque facile ex solutione argumentorum quæ in contrarium posita sunt adduci, quod est ferè vnicum argumentum in his questionibus. Secundò, quia si Angeli v. g. posibles sunt infiniti (vt supponimus ex præcedenti Sectione) cum nullus dicat repugnantiam cum altero, omnes quotquot posibles cognoscuntur, poterunt simul exister. Imò ex hac ratione, infra num. vltimo concludam, etiam naturaliter infinitos Angelos, mundos, &c. esse posibles, quia nihil est, nec naturaliter, quod petat ne producantur. Quod à fortiori certè de possibilitate diuinitus loquendo vrget. Videamus iam, quæ contra nos obiciant.

Primò arguunt ex Aristotele id negante. Respondeo, Aristotelem docentem, cōtinuum quodlibet, quantumuis minimum, v. g. atomum, componi de factò ex infinitis partibus & punctis, admittere etiam de factò infinitum: quoad possibile verò diuinitus non mirum si negetur ab ipso, qui Deum docet operari ex necessitate naturæ, in quo erat in fide.

Secundò arguunt: Quia si Deus produceret infinitum, exhauriretur omnipotentia Dei; ergo non potest producere. Non vrget, Primò, quia posset producere Deus vnum infinitum, & relinquere alia plura quæ postea produceret. Secundò, quia etsi producat omnia, non ideo exhauritur omnipotentia, imò potius tunc est in perfectissimo actu, sicut quia actu cognoscit omnia,

omnia, non exhauritur eius scientia. Denique quia adhuc posset Deus ea annihilare, & rursus producere.

- 34 Tertiò: Quia omne quod fit, debet cadere sub intentionem determinatam: sed infinitum non potest cadere sub illam, ergo nec produci. Nego Minorem, quia potest Deus, ad ostendendam suam potentiam, velle illud producere. Nec video, cur magis Angeli finiti possunt habere finem certum ob quem creantur, quam infiniti.

Quartò: Quia omne corpus debet habere figuram, ergo & terminum, quia figura est terminus quantitatis; ergo non esset infinitum. Negant nonnulli, illud corpus habiturum figuram, sed immeritò: posset enim depingi v. g. homo infinite magnitudinis, habens omnia membra, verum infinite inter se distantia, præsertim cum ostenderimus supra, posse infinitum includi inter duo puncta determinata. Vel si repugnat tale infinitum, pone infinitum numerum Angelorum, ubi hæc figura non est necessaria.

- 35 Ante argumenta omnia sequentia aduerte, Auctores qui eis vtuntur, ex vna parte concedere, à Deo cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ infinitos homines v. g. possibiles, alunde verò facere argumenta contra infinitum actu existens, quæ eodem prorsus modo contra illos infinitos homines viros per scientiam simplicis intelligentiæ, sine discrimine villo vrgent, vt in quolibet speciatim videbis idcirco sibi non esse constantes.

Quintò: Quia si posset esse infinita intensio, ergo posset dari Visio Dei infinite intensa, ergo & comprehensio Dei. Inprimis, rogo, an per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat Deus eam visionem infinite intensam, & vtrum cognoscat, eam esse comprehensionem Dei, an non. Si cognoscat, eam non esse comprehensionem; ergo, etiam existat, non erit comprehensio: si verò non cognoscit eam vt possibilem, quia esset comprehensio Dei, ergo iam relaberis in sententiam negantium, esse possibiles infinitas creaturas, vel gratiam esse infinite intensibilem. Igitur absolute respondeo, illam non futuram comprehensionem; quia ad hanc requiritur, visionem esse infinitam in perfectione, de quo fusiùs Disputatione vi. de Animâ, à num. 123. & in materiâ de visione Dei.

- Sextò: Quia si producerentur infiniti homines, & ab illis separaretur vnus, qui remaneret essent infiniti, quia ex ablatione finiti, non potest infinitum reddi finitum. Deinde, non essent infiniti, quia infinitum est, cui nihil potest addi. Sed inprimis hoc argumentum etiam est contra infinitum possibile. peto enim, vtrum homines possibiles, excepto Adamo, sint infiniti, necne. Si illi soli sunt infiniti, ergo si illi existerent, etiam sine Adamo adhuc essent infiniti: si verò non sunt infiniti, ergo nec addito Adamo erunt infiniti; & consequenter omnes homines possibiles non erunt infiniti, vt docuit Scotus. Deinde respondeo ex dictis supra, posse vnum infinitum esse maius altero, & infinito posse fieri additionem, ideoque illos homines, etiam ablato vno, futuros infinitos, non tamen tot quot antea. Et hinc inferes, licet in infinito sint infiniti binarij hominum v. g. & infiniti quaternarij, esse tamen binarios duplo plures, quam quaternarios.

Septimò: Quia si infiniti Angeli existentes mouerent lapidem, motus ille esset infinite velox, & consequenter in instanti, quod repugnat. Respondeo, ex dicendis infra, neque à Deo posse fieri motum localem per spatium diuisibile in instanti, non ergo illud posset facere Angeli infiniti, qui non habent maiorem virtutem quam Deus. Vnde miror, ob repugnantiam talis motus magis inferri, repugnare infinitos Angelos, quam inferatur repugnare ipse Deus, qui habet maiorem virtutem, quam omnes simul illi Angeli.

Octauò: Quia si produceret Deus virgam infinite longam, & ab illâ auferrentur duo vel tres palmi intermedij, & reunirentur à Deo duæ medietates, vel tunc occuparet eundem locum quem antea, & id repugnat, quia esset minus longa; vel ex Oriente vel Occidente amississet aliquem locum, & tunc iam non esset infinita, quia ultra illam daretur aliquis locus, ille scilicet quem amisit. Hoc argumentum potest eodem modo retorqueri contra illos, in ea virgâ cognita per scientiam simplicis intelligentiæ, de qua idem potest interrogari quod de existente, non ergo est speciale contra nos. Huic argumento respondent nonnulli, illud spatium intermedium posse à Deo impleri, vel producendo alias partes virgæ, vel eas rarefaciendo, vel aliquas duobus in locis constituendo; non autem posse moueri localiter ab vtraque parte, quia motus est desertio termini à quo, & acquisitio termini ad quem: illæ autem virgæ versus illas duas partes nullum haberent terminum, ergo non posset moueri localiter. In hac solutione non loquuntur hi consequenter, neque sibi, neque rationi: admittunt enim hi, in triangulo infinito lineas inclusas infinite longas habituras duo puncta, in costis trianguli, inter quæ puncta illæ lineæ clauderentur; ergo esset primum & vltimū punctum. Vel si nolumus facere questionem de nomine, an dicenda essent primum & vltimum, vel terminus, cerè extra illam costam pyramidis trianguli esset spatium, ubi alia posset incipere. Cur ergo hæc pyramis, vel triangulus ad illum locum ibi occupandum, non posset moueri deferendo alium? Confirmo rursum, per te, & merito: infinitum vnum potest esse maius alio. Pone ergo hæc duas virgas infinitas, quæ hinc simul incipiant caelum versus, vna autem sit longior aliâ; cur ea, quæ non est tanta, non poterit moueri sursum ad locum, quem alia maior pertingit? cerè non potest vlla excogitari ratio. Quod enim tu dicis, motum localem esse à termino à quo, ad terminum ad quem; hoc, inquam, habet aliquid de nomine, vel est fallum, prout à te intelligitur. De nomine, quia per terminum ego id intelligo *vbi res desinit*, & ultra non progreditur: infinitum autem hoc modo potest habere terminum, vt patet, per te, in duabus costis trianguli, intra se lineam infinite longam continentis; & in hoc sensu etiam caelum versus illa linea infinite longa haberet in re terminum, quia, per te, non occuparet omnia spatia possibilia in longitudine; ergo in hoc sensu posset ea virga moueri ad acquirendum nouum locum, alium deferendo. Tu verò, licet in infinito admittas punctum, ultra quod non protendatur, illud non vocas terminum, sed in re nobiscum conuenis. Quod si ad motum localem requiras nouum terminum, in hac tuâ acceptione,

ceptione, falsum dicis, quia dummodò sit nouus locus; quem ea virga occupare possit, habet capacitatem vt se ad illum moueat, siue dicatur terminus, siue non. Fateor, si quodlibet infinitum occuparet omnem longitudinem possibilem, tunc non posset ea parte moueri; sed hoc à te merito negatur, ergo.

Melius ergo respondetur argumento è numero 38. eam virgam deserturam aliquem locum versus utramque partem, neque ideo futuram finitam, quia (vt dixi supra) non est de ratione infiniti, habere omne possibile, aut repugnare illi additionem, sed præcisè vt ab vno puncto in aliud minimè possit successiue peruenire.

Nonò arguunt alij: Producat virga infinita versus Orientem & Occidentem, & alia infinitè maior; ergo iam prima habet terminos, ergo non est infinita. Retorquetur contra hos argumentum in eis virgis per scientiam simplicis intelligentiæ cognitis, vt faciliè quicquid videbit. Deinde, iam est solutum supra, vbi ostendi, posse infinitum includi inter duo puncta, infinitè tamen inter se distantia.

42. Decimò: Quia si Deus produceret pyramidem infinitè longam, & inter illius costas traicerentur lineæ à costa in costam; essent finitæ & infinitæ; infinitæ, quia costas distarent inter se infinitè, ergo & lineæ ductæ ab vnâ in aliam; & non essent infinitæ, quia clauderentur duobus punctis. Respondeo, ex dictis iam sæpè, non esse contra rationem infiniti, includi duobus punctis, dummodò illa inter se infinitè distent.

Hæc sunt communia argumenta, quæ contra infinitum actu existens fieri solent. Omisso alia omnino similia, solis ferè terminis aut materiâ mutata, quæ (vt dixi) possunt eodem modo contra infinitum possibile retorqueri, ideoque nihil speciale contra actuale probant.

43. Contra utrumque tamen potest vnum vel alterum argumentum difficile valdè fieri. Primum sit: In ea pyramide infinita, in qua Deus cognoscit omnes lineas quæ à costa in costam ducuntur, & primam post punctum, in quo concurrunt ambe costas, cognoscit solum constare duobus punctis, secundam tribus, &c. & cognoscit Deus omnes quæ ibi sunt. Vterius, cognoscit quæ sint finitæ, quæ verò infinitæ, quia neque omnes sunt finitæ in longitudine, neque omnes infinitæ: ex finitis autem cognoscit sanè omnium maximam, quia inter omnes finitas necessum est vnâ esse maximâ. Rogo ergo, quæ succedit post hanc, est-ne infinita, an finita? Finita non potest esse, quia est maior quàm maxima omnium finitarum; neque item potest esse infinita, quia non habet nisi duo puncta plus quàm altera finita, finitum autem additum finito, non facit infinitum; ergo illa est & non est infinita, quod implicat.

44. Quod si propter hoc argumentum diceret, Deum non cognoscere, nec per scientiam simplicis intelligentiæ, possibilem pyramidem, aut triangulum, aut talem figuram infinitè longam; Contrâ Primò, quia in ipso spatio imaginario, quod est infinitum, idem argumentum fieri potest, & infiniti homines possent in tali figurâ disponi, & in quacumque infinita magnitudine posset formari infinita pyramis, vel ex duabus virgis infinitè longis formari posset; imò in Angelis infinitis possibilibus: nam Deus vno icu omnes enu-

merans, vnum, duo, tres, &c. vel venit ad numerum vltimum ex finitis, & tunc rota difficultas supra posita redit; vel non venit, & hoc ipsum videtur valdè durum, scilicet Deum non posse vnico actu illis numeris dare nomina, & scire qui illorum sint finiti qui infiniti. Contrâ Secundò & vniuersalius ex ratione à priori: quia omnis longitudo finita aut multitudo potest successiue percurri aut numerari, alioquin esset infinita; ergo, si incipiamus enumerare homines, tandem finiemus omnem multitudinem finitam illorum, ita vt supra illam non possit nec alius homo, componens cum præcedentibus numerum finitum, restare enumerandus; ergo addito iam præcisè vno supra præcedentes, resultabit multitudo infinita, quia præcedens erat maxima omnium finitarum, & hæc est maior illa, ergo erit infinita. Deinde non erit infinita, quia finitum additum finito non facit infinitum.

Responderunt aliqui, concedendo, dari posse numerum finitum, maximum inter finitos posibles; & eodem modo lineam inter finitas maximam; negant tamen, Deum posse ei numero vnum solum addere, sed necessariò addendos infinitos, aliàs sequerentur duo contradictoria. Hæc solutio reicitur clarissimè, Primò, quia si ibi est maximus numerus hominum, qui inter finitos esse potest, debuissent hi aduertisse, esse ibi duplo plures oculos. Iam ergo, rogo an oculi essent finiti, an infiniti. Finiti non possunt esse, quia sunt plures quàm homines, hi autem soli faciunt numerum inter finitos maximum: nec infiniti, quia duo finiti non faciunt infinitum. Secundò, quia si posito eo finito numero, adhuc sunt posibles infiniti, non est qui Deo liget manus, ne possit producere quem velit ex restantibus; quia ille non repugnat cum præcedentibus. Si enim cum eo infiniti alij producerentur, non repugnaret; ergo nec solus repugnat. Confirmo: annihilet Deus illum numerum maximum, & producat Petrum, iam hoc producto, cur non poterit reproducere antiquum numerum? Tertio impugno eam solutionem, quia quoad cogitationem est eadem difficultas: addo enim mente vnum ex possibilibus ei numero, & rogo, an ille numerus ex existentibus, & ex possibili resultans sit finitus, an infinitus. & sic redit totum argumentum supra factum. Imò fieri hoc ipsum potest, addendo illi numero hominum vnum aliud quodcumque ens. Quod verò dicitur, sequi hinc contradictoria, fateor; sed hoc intendit argumentum euincere, si semel concedatur maximus numerus finitus inter omnes finitos.

Hoc argumento videtur probari, in ipsâ compositione infiniti inuolui contradictionem, siue illud infinitum existat, siue solum sit possibile; nec posse intelligi, quâ ratione finitum additum finito non faciat infinitum: & nisi retorqueretur manifestè contra æternitatem Dei à parte antè & à parte post, inclinare sanè in sententiam Scoti negantis omne infinitum. Quid autem sit ei respondendum, nec mihi occurrit, nec vidi in aliis, quia hoc argumentum non vidi propositum. Malo autem fateri, me non videre solutionem, quàm dare aliquam, quàm nec ego nec vllus alius intelligat. Hoc solum aduerto, quod & supra dixi, non tam esse contra infinitum in actu, quàm contra possibile.

Rogabis,

Rogabis, utrum naturaliter possit dari aliquod infinitum. Respondeo, in Angelis non esse ullam rationem, cur non possint naturaliter infiniti produci, quia productio vnius non exigit ne alius producatur. Item neque exigunt spatium extensum in quo sint, quia omnes possunt esse in eodem loco; deinde, et si exigent, spatia sunt finita. Præterea etiam videntur naturaliter produci posse infiniti mundi, quia nihil est in natura quod illis contradicat. De infinito in magnitudine dicendum, viuentia physica naturaliter loquendo non posse esse infinitæ magnitudinis, quia augentur per intus-sumptionem, quæ alimentum ab vnâ parte trahitur in aliam; id autem non possit fieri, si partes essent infinitæ. Quod enim respondent aliqui, illud viuens habiturum infinitum stomachum, & tam bene posse ex infinitâ culinâ infinitæ domui cibos suppedirari, quàm ex finitâ finitæ; hoc, inquam, ridiculum est. Fateor enim illis, quoad quantitatem ciborum id verum esse, sed rogo, si interposita cubacula illius domus sunt infinitè longa, quando peruenient ministri cum cibis: ô quàm iam erunt frigidi! aut quanto tempore ex foro emptos cibos ad culinam ut parentur asportabunt famuli?

ô quàm iam forebunt! Si homo haberet collum & brachia infinitè longa, per totam æternitatem non descenderet cibus ex ore ad stomachum, nec ab hoc ad caput aut ad manus alimentum peruenire posset: & hinc infra probabo, viuentia habere terminos magnitudinis, naturaliter loquendo. Verum in non-viuentibus, v. g. in igne, aëre, &c. non est cur ea magnitudo infinita naturaliter repugnet, non loquor in hoc vniuerso, quia ex de-

fectu loci per accidens repugnat infinitus ignis. Infinitum in intensione naturaliter repugnat ex incapacitate subiecti, quia cum hoc habeat limitatam virtutem, non potest simul sustentare infinitos gradus qualitatibus.

Aduerte pro totâ hac materiâ, non valere consequentiam hanc, *homo excedit infinitas species animalium inæquales inter se, ergo homo est infinitus*. Rationem fortè quis redderet, eò quod hic excessus non ita sit, ut in homine detur vnus gradus perfectionis quo excedat vnus animal, & alius quo excedat aliud: si enim ita contingeret, diceret quis, essent in homine proculdubio infiniti gradus perfectionis, & consequenter homo esset infinitus. Fit ergo ille excessus per eandem indivisibilem perfectionem etiam ratione nostrâ, quæ est superior ad omnes illas species animalium. Sed costrâ, quia si homo esset infinitus, casu quo omnes eas perfectiones cum earum distinctione contineret, à fortiori erit infinitus, si eas sine distinctione contineat. Probo consequentiam clare, quia maior perfectio est continere eas sine distinctione, quàm cum illâ; ergo si cum distinctione arguerent infinitatem, à fortiori illam arguerent sine distinctione.

Adhuc tamen respondeo, si essent distinctæ, arguerent in homine infinitam perfectionem, saltem in multitudine; quando verò sunt sine distinctione, nec in multitudine, ut constat, neque in essentia est infinitum, quia habet multas imperfectiones admixtas, quæ repugnant infiniti in essentia, ut dixi supra num. 1. Hæc de infinito satis, quia quò plus mouetur, minùs percipitur, & homo magis confunditur.

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

In hoc libro cum Aristotele agemus de Loco, Vacuo, item & de Tempore, quorum omnium difficultates inter se valde connexas esse, ex dicendis constabit.

DISPUTATIO DECIMAQVARTA.

De Loco & Vacuo.

SECTIO I.

Quid sit Locus.



ARISTOTELES in præfati definitiuit locum, esse superficiem corporis continentis immobilem. Inter Philosophos dubium est, cui loco hæc definitio conueniat, an reali & vero, an imaginario, an ipsis corporibus, an eorum vicationibus. Sed quæstio est de voce, de re enim non potest esse dubitatio. Ego primùm dicendum cenfeo, locum esse aliquid reale, quia ens rationis non est corpus absolutè, neque habet superficiem propriam. Secundò, illum esse distinctum à re quæ

est in loco, nihil enim continet se ipsum, aut est in se ut in loco. Vnde infero, locum esse superficiem illam corporis realis continentis aliud corpus, v. g. superficiem vasis in quâ continetur aqua, superficiem terræ & aëris in quâ existit homo.

Sed obiicies: Superficies vasis non est locus, quia sequeretur, quando vter plenus vino mouetur, vinum non mutare locum, quia manet intra eundem vtem, & tamen certum est, illud mutasse & vicationem & locum, ergo superficies non est locus. Propter hoc argumentum nonnulli hanc sententiam impugnant; sed, ut dixi, res est de voce. In quâ possumus respondere, tunc vinum illud non mutasse locum realem, licet mutauerit vicationes, quæ, ut dicemus infra,